

*De Officio et potest. judicis delegat.* § 5. n. 102. 103. et seqq. Similiter, quod delegatus alterius principis supremi possit suam sententiam exequi, c. et Pirhing h. t. n. 99. allegans communem; idque probans ex l. ult. c. *de Judiciis*; et Menochius, lib. I. *de Arbitrar. judic.* quæst. 74. n. 43., citans alios. Quamvis nonnulli contrarium affirmant, spectato jure Cæsareo.

170. *Quid dicendum de delegato ab inferiore principe, puta episcopo.* — Num vero delegatus ab inferiore principe, puta ab episcopo, possit sententiam a se latam exequi, variant doctores. Et quidem negativa sententia est communior, per textum in l. *A Divo.* § 1. ff. *de Re judicat.* ubi dicitur: «Judicium a se datorum, vel arbitrorum sententiam exequantur ii, qui eos dederunt.» Favet ad idem textus in c. *Si quis contra 4. de Foro compet.*

171. Verum Glossa in cit. c. *Si quis contra* vers. *Ipsius sollicitudine* tenet oppositum. Quia ex quo (inquit) judici delegato causa committitur, intelliguntur ei omnia illa commissa esse, quæ ad causam ipsam spectare dignoscuntur, et sine quibus causa expediri non potest; ut c. *Præterea.* 5. et c. *Suspicionis.* 39. *de Offic. delegat.* Nec obstant (inquit eadem Glossa textus n. præced. in contrarium allegati. Quia licet dicatur in eis, quod ordinarius ejusmodi sententiam exequatur, non tamen prohibetur judici delegato. Et quamvis dici posset, priorem sententiam habere locum, quando ordinarius est præsens, tamen eo absente delegatus, vel officiale ejus, exequitur sententias suas: alias perniciosum esse hanc subtilitatem servare. Ita discurrit Glossa.

172. Unde patet, hanc quæstionem esse satis controversam inter doctores. Quia tamen de ipsa uberius jam dictum est supra l. I. tit. XXIX. *De officio et potestat. judic. delegat.* § 2. n. 45. 46. et seqq. et § 5. ibid. n. 110. superfluum foret, eadem hoc loco repetere. In praxi proinde attendendum erit tum ad speciales locorum consuetudines, tum ad verba factæ cuius commissionis: nam quandoque actualiter, et expresse, per superiorem committitur delegato suo non solum cognitio causæ, sed etiam executio latæ circa eam sententiæ, nisi forsitan appellari contigerit.

173. *Tertius interveniens pro suo interesse, atque appellans, potest impedire executionem sententiæ inter alios latæ.* — Quæritur III. Utrum tertius interveniens pro suo interesse, possit impedire executionem sententiæ inter

alios latæ? Resp. I. Quando reus victus non appellavit, vel in appellatione de jure suo non docuit; poterit tertius, qui ex tali sententia se gravatum senserit, intervenire, atque appellando ejus executionem impedire, in quantum tenderet in suum præjudicium. Ita patet ex c. *Cum super.* 17. h. t. ubi Glossa vers. *Interposita.*; Joan. Andreas n. 1; Abbas, n. 1. et seqq.; Barbosa, in *Collectan.* n. 5. et 6. citans plurimos alios. Ratio est, quia «res inter alios acta, non nocet regulariter aliis:» prout ibidem loquitur pontifex in fin.

174. *Dummodo probet de suo jure; et qualiter probare debeat?* — Intellige, dummodo ille tertius probet de suo jure, atque præjudicio ex sententia contra alterum lata sibi proveniente, saltem summariter. Quia hoc omnino requiritur, simul tamen sufficit ad impediendam executionem sententiæ, in quantum ipsi præjudicaret: quanquam ad obtinendam victoriam in causa principali, atque retractationem sententiæ, oporteat eum plene de suo jure docere. Glossa cit. c. *Cum super.* vers. *Interposita.* et Abbas, ibid. n. 7. ac seqq. et alii; atque probat textus in d. c. *Cum super.* h. t. Nam, cum vertente controversia Aureliensem episcopum ex una, et monasterium Novæ Cellæ ex altera parte, super statu, puta super subjectione hujus, idem episcopus plures sententias pro se reportasset: superveniens episcopus Ovetensis per suum nuntium querebatur, graviter suam Ecclesiam per dictas sententias læsam fuisse, utpote ac quam dictum monasterium perfinere asserebat. Quo audito Papa jussit admitti appellationem, si constiterit eam pro Ecclesia Ovetensi «rationabiliter interpositam:» sicque ad hoc requiritur, ac sufficit summaria causæ cognitio. Verum ad alterum requirit pontifex, ut ad memoratam «appellationem prosequendam nuntius ejus infra legitimum tempus destinatus fuerit; et sic executio sententiæ differatur, ne circa possessionem Ovetensis Ecclesia detrimentum incurrat,» etc.

175. *A sententia inter alios lata appellari non potest, nisi ex justa causa, idque exemplificatur.* — Atque in hoc sensu procedit textus in l. *A sententia.* ff. *de Appellation.* ubi dicitur: «A sententia inter alios dicta appellari non potest, nisi ex justa causa, etc. Siquidem justam causam appellandi habet, qui ex sententia contra alterum lata, sibi præjudicium generari conspicit, ut in casu cit. c.

*Cum super.* h. t. contigit. Sic etiam, si quis in cohæredum præjudicium se condemnari patitur; possunt alii juste appellare, atque executionem dictæ sententiæ impedire. Idem dicendum in fidejussore pro eo, pro quo intervenit; adeo, ut venditoris fidejussor emptore victo appellare valeat, licet emptor et venditor acquiescant: prout exemplificatur cit. l. *A sententia.* ff. *de Appellat.*

## § VII.

DE EXPENSIS, IN QUAS VICTUS VICTORI EST CONDEMNANDUS: UBI ET DE SENTENTIIS DUORUM JUDICUM CONTRARIA PRONUNTIANTIUM.

176. *Regula est, quod victus victori in expensis sit condemnandus.* — Quæritur. I. An iudex teneatur victum victori condemnare in expensis; et quando secus? Resp. I. Regula est vulgaris, quod victus victori in expensis sit condemnandus. Textus est in l. *Properandum.* § *Sive autem alterutra.* et ibi Bartolus, et Jason, n. 2. c. *de Judiciis.* ubi dicitur: «Omnes iudices sciant, victum in ea pensarum causa victori esse condemnandum, quantum pro solitis expensis litium juraverit: non ignorantes, quod si hoc prætemiserint, ipsi de proprio hujusmodi pænæ subiacebunt, et reddere eas parti læsæ coarctabuntur. Hæc ibi. Concordat textus in l. *Eum, quem temere,* ff. *de Judiciis,* ibi: «Eum, quem temere adversarium suum in iudicio vocasse constiterit, viatica, litisque sumptus adversario suo reddere oportet.» Hoc ipsum habetur § *Hæc autem.* Instit. *de Pœna temere litigant.* illis verbis: «Improbis litigator et damnus, et impensas litis inferre adversario suo cogatur.» Accedit jus canonicum c. *Finem litibus.* 5. *de Dolo et contumac.* et c. *Contumaciam.* 4. *de Pœnis,* memoratas sanctiones imperiales comprobans.

177. *Et hoc tam in causis civilibus, quam criminalibus, etc. Excepto reo in causa criminali criminaliter intentata.* — Atque hæc regula procedit non solum in causis civilibus, sed etiam in criminalibus; sive procedatur per viam accusationis, sive denuntiationis, aut inquisitionis: nam jura allegata indistincte loquuntur. Glossa fin. c. *Cum dilecti.* 6. *de Dolo et contumac.* et Abbas, ibid. n. 17. Gailus, lib. I. *Practic.* observat. 152. n. 1. allegans alios. Siquidem resectio expensarum judicialium est debita tanquam species pænæ, injunctæ temere litigantibus ex depositione

juris; ut inquit Card. de Luca, discurs. 39. *de Judiciis,* n. 7. sicque merito locum habet in omni causa, ubi talis temeritas litigatoris intervenit. Quanquam loquendo de causa criminali criminaliter intentata, Henricus Temmen, tract. *de Litium expensis,* cap. VIII. sect. 6. n. 17. et seqq. non immerito distinguendum censeat, an reus, vel actor succubuerit. Quia enim reo ignoscendum est, si sanguinem suum qualitercunque redemptum voluerit, l. I. ff. *de Bonis eorum, qui ante sententiam:* idcirco, quod condemnatus ad pœnam corporis, afflictivam non debeat condemnari in expensis, resolvit idem Temmen, d., n. 17. et seqq. citans Carpzovium, *D. finit forens.* part. I, const. 31, def. 24, n. 7, et alios. Secus, ait, esse dicendum de Actore, seu Accusatore; nisi docuerit, se probabilem, legitimamque accusandi causam habuisse, juxta mox dicenda. Unde

178. *Fallit data regula, quando victus justam causam litigandi habuit.* — Resp. II. Fallit nihilominus data regula cum primis, quando victus justam causam litigandi habuit: quo casu expensæ compensantur, l. *Qui solidum.* § *Etiam.* ff. *de Legat II.* juncta Glossa § *In litis sumptibus,* inde inferente, quod «justa ignorantia excusat a litis sumptibus.» Idem tradit Glossa c. *Finem litibus.* § *Expensas.* et Abbas, ibid. n. 22 et Barbosa, n. 6 *de Dolo et Contumac.* cum aliis. Socinus, in *Fallentis.* reg. 139. fallent. 1. Card. Tuschus, litt. E. concl. 626. n. 7. et seqq.; Jason cit. l. *Properandum.* § *Sive autem alterutra.* n. 2. c. *de Judiciis.* Gailus, ead. observat. 152. n. 3. allegans communem. Accedit ratio, quia, ut proxime dictum, resectio expensarum est debita tanquam species pænæ, temere litigantibus a jure impositæ: atqui probabilis causa litigandi, excusat litigantem a temeritate; ergo etiam excusare debet a pœna resectendarum expensarum. Quidquid sit de stylo curiæ, ac Rotæ Romanæ, ubi in quacunque causa, quantumvis dubia, semper fit condemnatio in expensis, etiamsi victus justam habuerit causam litigandi; prout refert Card. de Luca cit. discurs. 39. *de Judiciis,* n. 10. et 11. citans alios, sed memoratum stylum reformatione dignum asset, ut in Relatione Rom. curiæ, disc. 32. n. 101. et 103.

179. *Quando quis censeatur habere justam causam litigandi, judicis arbitrio relinquatur.* — Quando autem quis censeatur habere justam causam litigandi, non potest dari certa regula (dependet enim a particularibus ca-



cumstantiis), juncta notitia juris communis, cujus ignorantia non excusat, juxta reg. 13. jur. in 6.) Atque ideo relinquendum est arbitrio judicis, qui ex qualitate facti, et conditione personarum, istud habet arbitrari. Abbas cit. c. *Finem litibus*. n. 25. et 26. et Barbosa, in *Collectan.* ibid. n. 7. de *Dolo et contumac.*; Menochius, lib. II. de *Arbitrar. judic.* cas. 177. n. 2. et seqq.; Jason cit. § *Sive autem alterutra*, n. 8. c. de *Judiciis*, cum aliis, quod citant.

180. *Afferuntur plures casus, in quibus litigans censetur habere justam causam litigandi; adeo ut si succumbat non sit condemnandus in expensis.* — Nihilominus, ut aliquantulum cognosci possit, quando litigans censeatur habuisse justam causam litigandi, sicque non sit condemnandus in expensis; sciendum est quod Jason, et Menochius II. cc. istud conentur declarare, afferendo in specie novem, vel decem tales casus. I. Quando is, qui succubuit, habuit opinionem doctoris, qui pro ea sensit: quod intelligit Menochius, quando doctor ille fuit vir eruditus, et in sua opinione fuerat sine contradictione. II. Quando is, antequam litem ingrederetur, habuit consilia doctorum viventium, præsertim scripta et sigillata; dummodo ipsemet litigans, ac succumbens, doctor non fuisset; nam turpis ignorantia suæ professionis non excusaret. III. Quando in aliquo articulo sunt diversæ doctorum opiniones, nec reperitur, quæ vere communis sit.

181. IV. Quando is, qui succubuit, semiplene probavit. V. Quando is intentionem suam probavit testibus, qui postea reprobati sunt ratione suæ personæ, v. g. ut excommunicati, infames, etc. dummodo non subsit suspicio contra producentem. VI. Cum testes extra judicium jactabant, rem ita esse, et se in illius favorem testimonium dicturos, postea vero producti, contrarium deposuerunt. VII. Quando is, qui succubuit, probat se a pluribus fide dignis audivisse, quod justam causam foveret. VIII. Quando quis litigat ob suum pudorem servandum; ut l. *Quæ omnia*. ubi Bartolus notab. 3. ff. de *Procurat.* Nam pariter verecundiæ alicujus, juxta Glossam ibid. §. *Convicium*, pluribus Juribus istud corroborantem. IX. Cum actor petiit plus debito: nam tunc reus habet justam causam litigandi super toto. X. Quando is, qui succubuit, ex jussu superioris, v. g. summi pontificis, litem suscepit. Verum de horum singulis plura Jason, et Menochius, ubi su-

pra, citantes alios, ac novissime. Henric. Temmen, d. tract. de *Litium Expensis*. cap. IX. sec. 3. per totum.

182. Alium casum ponit Abbas cit. c. *Finem litibus*. n. 22. de *Dolo et contumac.* ubi cum præmisisset, quod probabilis ignorantia aliter probata, quam per juramentum, excuset a condemnatione expensarum: istud exemplificando post Hostiensem, subjungit, quod si filius in arca paterna inveniat instrumentum debiti, cui jam satisfactum erat, sed ipse ignorabat, excusetur ab expensis. Ex quo enim alteri successit, præsumitur justam ignorantie causam habuisse, juxta reg. 46. jur. in 6. « Is, qui in jus succedit, » etc. juncta l. ult. ff. *Pro suo*, ibi: « In alieni facti ignorantia error tolerabilis est. »

183. *Solum juramentum calumnie antea præstitum, non excusat victum a condemnatione expensarum.* — Porro solum juramentum calumnie antea præstitum, non excusat victum a condemnatione expensarum. Potest enim bene esse, quod quis non calumniose litigaverit, bene tamen temere, quia prosiluit inconsultus: atqui condemnatio in expensis fit etiam propter temeritatem litigatoris. l. *Eum, qui temere*. ff. de *Judiciis*. Accedit, quod aliquin frustra mandassent legislatores, victum victori condemnari in expensis: quia bene sciverunt, juramentum calumnie esse; remittendum litibus, l. *Cum et Judices*, juncta Auth. *Principales*. c. de *Jurejurand.* propter calumn. cum similibus, Abbas cit. c. *Finem litibus*. n. 21. de *Dolo et Contumac.* quidquid Glossa ibid. §. *Expensas*, in contrarium sentiat, nisi evidenter de calumnia pateat.

184. *Quid, si victus in una parte judicii habuerit justam causam litigandi, et non in alia?* — Notandum tamen, quod si victus in una parte judicii habuerit justam causam litigandi, et in reliqua non (ut puta, post exhibitum in judicio instrumentum præstitæ satisfactionis) tunc judex debeat eum condemnare in expensis, quæ ab altera parte factæ sunt a die v. g. productionis dicti instrumenti citra, in aliis vero non; ut l. *Si quis inficiatus*. ff. *Depositum*: ac notat Bartolus, l. *Properandum*. § *Sive autem alterutra*. vers. *Item potest*. et Jason, ibid. n. 12. c. de *Judiciis*. Abbas cit. c. *Finem litibus*. n. 23. de *Dolo et Contumac.* istud intelligens, quando quis potuit desistere ab actione sine abolitione; ut in omnibus causis civilibus.

185. *In dubio non censetur victus habuisse justam causam litigandi.* — Cæterum in dubio,

qui victus est, præsumitur non habuisse justam causam litigandi: atque ideo stante dubio, seu nisi justam ignorantie causam probare valeat, in expensis condemnari debet Glossa in Auth. *Generaliter autem*. §. *Injuste*. c. de *Episcop. et cleric.* Jason d. l. *Properandum*. § *Sive autem alterutra*. n. 10. c. de *Judiciis*, citans Baldum, Angelum, et Salycetum ibid. Barbosa, ubi supra, n. 9. Henric. Temmen cit. cap. IX. sect. III n. 16. cum aliis, quos allegat.

186. *Si judex videat, victum non esse condemnandum in expensis ob justam causam litigandi, debet istud in sententia declarare.* — Addit Speculator, tit. de *Expensis*, § *Nunc videndum*. n. 3. quod si judex videat, victum ex errore probabili succubuisse sicque non esse condemnandum in expensis, debeat in sua sententia istud declarare; ut Auth. *Post jurjurandum*. c. de *Judiciis*; et Auth. de *Judiciis*. § *Oportet*. collat. 6. juncta Glossa §. *Sua*, asserente, quod declaratio ista possit fieri dicendo: « Ab expensis absolvo: » vel, si in aliquibus victum condemnavit, possit dicere: « Ab aliis absolvo. »

187. *An etiam in sententiam teneatur exprimere causam illam litigandi?* — Fatendum quidem, quod Joan. Andreas d. c. *Finem litibus*, n. 17. de *Dolo et contumac.* et Jason cit. n. 10. pluresque alii per Henric. Temmen cit. cap. IX. sect. 3. n. 84. allegati velint, si judex absolvit victum ab expensis, quia habuit justam causam litigandi, quod teneatur etiam in sententia exprimere causam illam. Verum hanc sententiam ex professo rejicit Abbas, in c. *Examinata*. n. 3. de *Judiciis*, et ipsemet Temmen, loc. cit. n. 85. et seqq. cum aliis; tum quia ea ex nullo jure probatur: nam in cit. § *Oportet*, in quo se fundant præallegati auctores, solum dicitur, quod si judex vult absolvere ab expensis, debet istud exprimere: puta, dicendo: quod absolvat ab expensis, ob rationabilem videlicet causam sibi cognitam; tum quia in contrarium stat regula, quod judex non teneatur in sententia exprimere causam ipsius; eo quod propter auctoritatem judicariam præsumantur omnia legitime facta, c. *Sicut nobis*. 16. h. t. estque jam dictum supra n. 98. et seqq. Concordat Gailus, lib. I. *Practic.* observat. 151. n. 20. asserens, quod in camera verbis duntaxat generalibus, puta, ex justis causis animum judicis moventibus (vulgo, *aus beveglichen Ursachen*) fiat declaratio compensationis ex-

pensarum ob justam causam litigandi.

188. *Regula illa, quod victus condemnatur victori in expensis, fallit in nonnullis casibus; et quibus?* — Resp. III. Fallit ulterius data n. 176. regula in nonnullis aliis casibus: Videlicet, in casu cit. l. *Properandum*. § *Sin autem reus*, et § *Et si quidem*. c. de *Judiciis*: ubi actor, vel reus contumaciter absens, ob suam contumaciam condemnatur alteri parti in expensis, haud obstante, quod in causa victor existat: estque jam dictum supra partim tit. XIV. de *Dolo et contumac.* § 3. n. 85. partim tit. XV. de *eo, qui mittitur in possessionem*, etc. n. 14. Alius consimilis casus habetur in Auth. de *Defensorib. civitat.* § *Et judicare*. collat. 3. quem Glossa ibid. §. *Omni litis*, appellat specialissimum, quod victo victor damnatur in expensis.

189. *Fallit etiam, si persona succumbens in lite, sit valde honesta, et magnæ fidei, aut religiosa.* — Fallit quoque in persona valde honesta, et magnæ spectatæ fidei, aut valde religiosa, quæ si succumbat in lite, non debet in expensis condemnari: quia non præsumitur, quod calumniose seu temere litigaverit. Glossa can. *Expedit*. 12. q. 1. §. *Si scirent*. Hostiensis, c. *Finem litibus*. et Joan. Andreas, ibid. n. 17. et Abbas, n. 22. et Barbosa n. 4. de *Dolo et contumac.* Socinus, in *Fallentiis*, reg. 139. fallent. 3. Jason, ubi supra, n. 10. et l. *Jubemus*. n. 12. q. eod. pluresque alii ab his allegati.

190. *Atque in casu, quo pars semiplene probavit et judex ei detulit juramentum necessarium, sicque ipsa vicit. Secus dicendum in juramento judiciali, seu a parte parti delato.* — Fallit insuper in casu, quo pars aliqua semiplene probavit, et judex ei detulit juramentum necessarium, sicque ipsa vicit; tunc enim altera pars non debet condemnari in expensis. Ita Jason cit. § *Sive autem alterutra*. n. 10. post Alexandrum ibid. et Baldum in Auth. *Generaliter*. c. de *Episcop. et cleric.* Secus dicendum de juramento judiciali litis decisivo, seu delato a parte parti in judicio: quia si reus detulit juramentum actori, et hic jurat, debet Reus in expensis condemnari. Jason d. n. 10. allegans plures alios.

191. *An judex teneatur victum condemnare in expensis, etiam si hæc non sint petita?* — Quæritur II. Utrum judex debeat condemnare victum victori in expensis, sive hæ fuerint petita, sive non? Resp. I. Certum est, quod judex teneatur victum victori condemnare in expensis, quando hæ fuerint petita:



alias iudex litem faciet suam, ipsasque expensas de suo resarcire tenebitur. Ita textus in l. *Properandum*. § *Sive autem alterutra*. et tradit Bartolus, ibid. et Baldus, c. *de Judiciis*. Maranta, part. VI. *Speculi aurei*. tit. *de Libelli oblatione*. n. 48. cum communi. Idque patet ex cit. § *Sive autem alterutra*, cujus verba n. 176. jam sunt relata: juncta l. IV. § *Hoc autem iudicium*. ff. *de Damno infecto*, cum similibus.

192. *Expensæ, quibus modis censeantur petite?* — Cæterum expensæ censentur petite, non solum, quando verbis expressis per litigantem petuntur, iudice pro tribunali sedente; sed etiam, quando in libello facta est protestatio de expensis: nam per talem clausulam censetur interpellatus iudex, ut victum victori condemnet ad expensas. Maranta cit. n. 48. Idem dicendum de clausula illa generali, ac libello incerta: « Super his omnibus peto mihi jus, et justitiam administrari omni meliori modo ac forma, qua de jure, statuto vel consuetudine fieri potest, » etc. nam per hujusmodi clausulam imploratur officium iudicis super omnibus causam ipsam contingentibus, et sic etiam super expensis. Engel, tit. *de Libelli oblatione*, n. 6; Gailus, h. l. *Practic.* observat. 61. n. 8. allegans alios. Addit Jason cit. § *Sive autem alterutra*. n. 32. post Baldum, et Paulum de Castro, et Alexandrum ibid. sufficere quoque petitionem implicitam expensarum; puta, quod litigans petat ferri sententiam pro se: quia censetur petiisse, quod iudex ferat sententiam nedum super causa principali, sed etiam super omnibus accessoriis, arg. l. ult. c. *de Fructib. et litium expens.*

193. *Judex non condemnans victum victori in expensas, quando hæ fuerunt petite, potest ipsum post latam sententiam toto die in eas condemnare.* Alias tenebitur expensas resarcire de suo. — Porro, si iudex victum (cessante justa causa) non condemnavit victori in expensas petitas, non potest post latam sententiam amplius in eas victum condemnare, nisi adhuc « comminus partibus constitutis; » ut loquitur textus in l. *Terminato*. c. *de Fructib. et litium expens.* Ubi Glossa *γ*. *Comminus*. et Bartolus, ibid. istud intelligunt de toto illo die, quo iudex tulit sententiam; ut l. *Paulus*. ff. *de Re judicat.* Unde, quo toto illo die possit iudex condemnare victum in expensas, tradit etiam Abbas, c. *Finem litibus*. n. 35. *de Dolo et contumac.* et Jason cit. § *Sive autem alterutra*. n. 32. inde conclu-

dens, quod expensæ non petite, possint peti a parte totam illam diem, qua iudex tulit sententiam, utpote qui per totam illam diem potest supplere sententiam, cit. l. *Paulus*. ff. *de Re judicat.* Idem tradit Gailus, lib. I. *Practic.* observ. 151. n. 49. quamvis addat, istud in camera non observari.

194. *Si expensæ nullo modo fuerunt petite, potest quidem iudex ex officio victum in eas condemnare.* — Resp. II. Quando expensæ nullo modo fuerunt petite, potest quidem iudex ex officio victum, et temere litigantem, condemnare victori in expensas, non tamen tenetur condemnare. Ita Abbas, d. c. *Finem litibus*. n. 34. *de Dolo et Contumac.* citans Glossam fin. cap. ult. *de Rescript.*; Bartolus, l. *Properandum*. § *Sive autem alterutra*. quæst. ult.; et Jason, ibid. n. 30. c. *de Judiciis*; Maranta, ubi supra, n. 48; Engel, h. t. n. 43. cum aliis. Ratio partis prioris est, quia condemnare in expensas, emergit in lite, atque pertinet ad officium iudicis: ergo, si vult, potest ex officio in expensas, etiam non petitas, condemnare victum, cit. § *Sive autem alterutra*, et l. *Non ignoret*. c. *de Fructib. et lit. expens.*

195. *Non tamen tenetur condemnare. Nec postea expensas resarcire de suo.* — Altera vero pars ex eo probatur, quia iudex non tenetur officium suum impendere ad privatam alterius utilitatem, nisi fuerit petitum; ut l. IV. § *Hoc autem iudicium*. ff. *de Damno infecto*. Simulque, « non quidquid iudicis potestatis permittitur, id subijcitur Juris necessitati, » ut loquitur textus in l. *Non quidquid*. ff. *de Judiciis*. Unde consequens est, quod iudex non teneatur condemnare victum victori in expensis, neque hujusmodi expensas resarcire de sua: haud obstante, quod secus foret dicendum, si expensæ fuissent petite, et tamen in ea non condemnasset Iudex litigantem temerarium, cit. § *Sive autem alterutra*. Abbas cit. n. 34. Bartolus, ubi supra et alii.

196. *Expensarum nomine, quid intelligatur?* — Quæritur III. Quid nomine expensarum intelligatur, et quotuplices sint? Resp. I. Expensarum nomine in proposito intelliguntur impensæ necessariae, seu judiciales, quæ propter ipsam causam factæ sunt. Textus est in c. *Finem litibus*. 5. *de Dolo et contumac.* ibi: « Ad solvendas alteri parti moderatas expensas in iudicio faciendas: » Ubi Glossa marginalis *γ*. *Expensas*, adducens plures concordantias, et Abbas n. 28. amplius istud

declarant. Concordat textus in l. *Properandum*. § *Sin autem ex gestis*. c. *de Judiciis*, ibi: « Expensis tantummodo litis, quas reus legitime se expendisse juraverit, condemnatione excipiendis: » cum similibus.

197. *In taxatione expensarum judicialium non attenduntur arrhæ, neque annuum salarium advocatis per nonnullos dari solitum.* — Hinc, quod in taxatione expensarum judicialium non sit habenda ratio earum impensarum, quas arrharum nomine clientes suis advocatis sub litis initio dare consueverunt, sicut nec annuum salarium pro navanda sibi in posterum opera advocatis, vel procuratoribus, per nonnullos dari solitum: censeat, atque in camera conclusum refert Gailus, lib. I. *Practic.* observat. 151, n. 4. Quia (inquit) hæ expensæ sunt delicatæ, atque voluntariæ, quarum rationem iudex habere non debet, arg. l. *Inter quos*, § fin. et l. *Ex damno*. § 1. ff. *de Damno infecto*. et l. *Si servos*. ff. *de Pignorat. action.* Quid enim ad partem victam, quod victor tam liberales expensas in arrhis, seu annuo salario fecerit? Similiter ea, quæ dantur pro muneribus, etiam licitis et solitis, hoc loco non veniunt nomine expensarum Card. de Luca discours. 39. *de Judiciis*, n. 17.

198. *Expensæ necessariae, atque judiciales, sunt in quadruplici differentia.* — Resp. II. Expensæ necessariae, atque judiciales, quarum ratio habenda est in condemnatione expensarum, sunt in quadruplici differentia. Ita Speculator, tit. *de Expensis*. § *Postremo*, n. 21. et Gailus cit. observat. 151. n. 2. et seqq. allegans alios. Idque patet inductione. Imprimis enim expensæ hujusmodi sunt eæ, quæ fiunt in iudicio: puta, ad instituendum processum, seu pro opera advocatorum in concipiendo libello, aliisque scripturis, atque productis ad ipsam causam pertinentibus conficiendis, quæ debent taxari secundum qualitatem personarum, et magnitudinem causæ. Huc etiam pertinent expensæ, quæ dantur procuratoribus in proponendis, et exhibendis partium iuribus; item et notariis pro conficiendis instrumentis etc. Atque de his fit mentio in l. *Sancimus*. c. *de Judiciis*. et l. I. § *In honorariis*. ff. *de Variis et extraordinar. cognit.* In quo posteriori loco dicitur, quod « in honorariis advocatorum ita versari iudex debet, ut pro modo litis, proque advocati facundia, et fori consuetudine, et iudicii, in quo erat acturus æstimationem accipiat, dummodo licitum hono-

rarium quantitas non excedat. » Hæc ibi.

199. *Secundo expensæ necessariae et judiciales censentur esse, quæ fiunt pro examine testium: puta a longe adducendorum.* c. *Cum pro causa*. 6. *de Procuratorib.* et l. *Quoniam*. c. *de Testib.* et alibi. Tertio, inter expensas necessarias, atque judiciales, connumerantur sportulæ, quæ spectato jure civili iudicibus delegatis dantur, juxta Auth. *de Iudicibus*. § *Ne autem*. collat. 6. de quibus ex professo actum est supra l. I. tit. XXXII. *de Judiciis*. n. 17. et seqq. Quarto, inter expensas necessarias et judiciales computantur eæ, quæ dantur executoribus litium, seu apparitoribus quæ etiam sportulæ vocantur in rubric. et toto tit. c. *de Sportulis*. etc.

200. *Est distinguendum inter expensas contumaciæ, et expensas victoriae.* — Resp. III. Insuper est distinguendum inter expensas contumaciæ, seu quas pars incurrit ob contumaciam partis adversæ; et inter expensas victoriae, seu in quas victus victori condemnandus est. Ita Abbas cit. c. *Finem litibus*. n. 35. *de Dolo et contumac.* Jason, l. *Properandum*. § *Sive autem alterutra*. n. 3. ff. *de Judiciis*; Gailus, l. I. *Practic.* observat. 151. n. 13. et alii. Idque ostenditur inductione, declarando hujusmodi differentias.

201. *Et quales expensæ sub utriusque veniant?* — Imprimis enim appellatione « Expensarum ratione contumaciæ, » veniunt non solum impensæ litis; et retardati processus; verum etiam damna, interesse, et deteriorationes, quas una pars ob contumaciam, v. g. ob contumacem obstantiam alterius, perpessa fuit, arg. c. *Cum dilecti*. 6. § fin. *de Dolo contumac.* ubi pars ob suam contumaciam condemnatur ad legitimas et moderatas expensas, quas adversarius ejus fecerat, et non tantum ad necessarias litis expensas. Glossa in l. I. *γ*. *Tenebitur*. et Bartolus, ibid. n. 2. ff. *de Alienation. iudicii mutand. caus.*; Jason cit., n. 13. Secus est in « Expensis victoriae: » quia tunc veniunt expensæ ratione litis tantum, l. *Sancimus*. juncta Glossa *γ*. *Damna*. ff. *de Judiciis*. Bartolus, et Jason, ubi supra. Gailus, d. observat. 151. n. 13. allegans alios.

202. *Advocatus, vel doctor in propria causa conficiens instrumenta, nihil eo nomine exigere valet.* — Et hoc adeo verum est, ut si advocatus, vel doctor in propria causa litiget, atque instrumenta sua ipsemet conficiat, nihil eo nomine pro sua navata opera exigere valet: tantum enim expensas litis petere po-